



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XVIII. De Causis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIO XVIII.

De Causis in Communi.

SECTIO PRIMA.

Quæ sit definitio Causæ in Communi.

I. Causam aliqui definiunt esse id à quo aliquid pendet. At minus rectè, sic enim quævis conditio esset causa, & objectum, merè terminativum esset causa actûs, & terminus causa relationis. Imò Pater in Divinis esset causa Filij, & Filius Patris, latè enim sumptâ dependentiâ, certum est eos à se invicem dependere, cum neuter sine alio esse possit.

II. Variæ ab aliis assignantur causæ definitiones, quæ fortasse in idem recidunt. P. Suar. d. 14. Met. f. 2. sic causam definit. Causa est principium per se influens esse in aliud: quam definitionem plurius amplectuntur ex recentioribus, & ex parte approbat P. Hurt. d. 8. f. 1.

S. 1. Per particulam aliud, excludit Suarez à ratione Causæ Patrem æternum respectu Filij, & Patrem ac Filium respectu Sp. Sancti, quod scilicet Filius non sit aliud à Patre, sed solum alius, nam ut in sacrâ scripturâ habetur 1. Joannis. 5. v. 7. hi tres Pater scilicet, Verbum, & Sp. Sanctus unum sunt. Contra hanc tamen definitionem objici potest, licet Filius non sit aliud simpliciter à Patre, seu aliud in essentiâ, est tamen aliud suppositum. Deinde docet P. Suarez idem posse producere & conservare seipsum, & de facto ait Christum se producere & conservare in Eucharistiâ, quo in casu dicit Christum esse veram causam sui, ergo causa non necessariò est ad aliud simpliciter, cum idem non sit aliud à se.

III. Conimb. hic c. 7. q. 1. r. 1. sic causam definiunt, causa est id à quo aliquid per se pendet. Quæ definitio, si rectè explicetur, parum differt à definitione P. Suarij, cum dicant ipsi nihil propriè pendere ab alio, nisi quod habet essentiam numero saltem ab eo distinctam. Rubius l. 2. tr. 1. n. 53 eandem tradit causæ definitionem quam Suarez, nisi quod loco ultimæ particulæ aliud ponat effectum, quæ tamen particula minus explicat naturam causæ, quàm particula aliud, & par sit difficultas in explicando quid sit effectus, & quid sit causa. Per particulam tamen effectus excludit Rubius Patrem æternum à ratione causæ respectu Filij, cum juxta fidem Filius non sit factus, sed genitus, & idem est de Sp. Sancto, qui non est factus nec creatus.

IV. Mihi non displicet definitio illa P. Suarij, nempe, causa est principium per se influens esse in aliud. Ly per se ponitur ad excludendum causas per accidens, ut cum musicus est architectus, per accidens est quod sit musicus, nec musica illius concurrat ad ædificium: unde ait Aristoteles Musicus adificat per accidens. Adicitur etiam ly per se ad excludendas causas remotas, ut postea dicemus, quæ per se non influunt in effectum productum à causâ proximâ. Ly influens significat proprium influxum & causalitatem, seu dependentiam.

V. Tandem, ly aliud importat distinctionem in essentiâ seu substantiâ, quam distinctionem in causâ requirit S. Thom. 1. p. q. 33. a. 1. ad 1. ubi ait propterea apud Latinos Patres non esse admissum nomen causæ ad intra in Trinitate, quia causa importat diversitatem substantiæ, & dependentiam. Item Valsq. 1. p. d. 131. c. 1. ostendit ex communi sensu Patrum

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

aliud neutraliter prolatum significare diversitatem in naturâ. Unde Concilium Ephesinum, Toletanum, & Lateranense c. Damianus, de summâ Trinitate, admittunt in Trinitate aliud & aliud, non tamen aliud & aliud. Et per hoc patet ad primum, quod n.

2. objiciebatur, licet enim admittatur aliud suppositum in Trinitate, non tamen aliud simpliciter, & propterea Patres admittere noluerunt in Trinitate causam ad intra, quia argueret distinctionem in essentiâ, seu aliud & aliud simpliciter, quam tamen distinctionem aliud & aliud suppositum non arguit, nam aliud simpliciter est idem atque alia natura, vel essentia. Circa secundum, utrûm scilicet idem producere possit seipsum, dicitur disp. sequente.

Sed objiciet aliquis, sequi, Verbum Divinum esse causam humanitatis quam sustentat, cum humanitas sit aliud à Verbo, & ab illo in esse dependeat. Resp. duobus modis pendere humanitatem à Verbo, uno modo in quantum à Verbo simul cum aliis duabus Personis producitur effectivè, & secundum hanc rationem non magis pendet à Verbo quàm à Patre, & Sp. Sancto, cum operationes ad extra sint omnibus Personis communes, utpote procedentes ab unâ omnibus communi voluntate. Sub hac ergo ratione omnes tres Personæ sunt causa humanitatis, sicut sunt causa ignis vel alterius cujuscunque effectus, cum ut sic humanitas à Verbo pendeat sicut res omnes aliæ, nempe ut ab influente. Alio modo pendet humanitas peculiariter à Verbo ut à supplente locum substantiæ creatæ, & sub hac ratione non influit in eam Verbum, sed respicit per modum puri termini: cum enim humanitas naturaliter existens non pendeat à substantiâ propriâ à priori, seu tanquam ab influente, sed tantum ut ab ultimo termino naturæ, ita hactantum ratione pendet à Verbo supplente vices substantiæ creatæ, quod proinde dat illi esse, non per modum influxus, sed terminationis.

Objicitur ulterius, saltem Verbum Divinum erit causa intrinseca Christi. Resp. negando consequentiam, primò, quia nihil est propriè causa, ut multi etiam ex adversariis tenent, nisi quod physicè influit, & aliquid effectivè producit, unde materiam & formam rejiciunt à ratione causæ propriè dictæ, quia scilicet nihil efficiunt, nec propriè influunt, cum enim non influant in se invicem, & compositum nihil aliud sit quàm partes, si partes non efficiant, non efficiunt compositum. Secundò, admissio etiam materiam & formam esse causas compositi, adhuc Verbum non erit causa, quia non est quid incompletum ordinatum ex essentiâ suâ ad compositum aliquod constitutum, ita ut ex naturâ suâ exigat connaturaliter aliud. Quæ etiam de causâ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non dicuntur causa Trinitatis, sicut nec tres homines sunt propriè causa numeri ternarij. Unde similiter negant multi Verbum Divinum debere dici partem Christi. Sicut ergo illi ob hanc causam negant Verbum esse partem Christi, nos etiam negamus esse causam illius intrinsecam, quæ idem sonare videntur. Imò alij ob eandem rationem nolunt Verbum dici constitutivum intrinsecum Christi. Alij tamen non refugiunt affirmare Verbum esse causam intrinsecam illius compositi, nempe Christi, & esse illius partem, cum compositum illud, seu

A a 3

Christus,

Christus non sit sola humanitas, ut est manifestum. Sed satis de questione de nomine.

VIII.

Actio non est causa, sed influens sufficiens.

Dices; convenire hanc definitionem actioni, quæ tamen non est causa. Resp. verba illa *principium per se* quod, sicque per illa satis excludi actionem. Secundò dico, actionem eo modo quo influit, esse causam: sicut ergo influit *ut quo*, seu est ratio formalis per quam causa influit, ita est causa *ut quo*, seu ratio formalis per quam constituitur materia in ratione partis actualis, & consequenter est pars *ut quo*.

IX.

Alia definitio cause.

Alia à nonnullis assignatur definitio causæ in communi, licet in re fortè ab hac non differat, nempe, *causa est id à quo aliquid pendet, ut ab influente per se*. Per *ly pendet* dicunt significari productionem essentia, quæ de causâ negatur ratio causæ ad intra in Divinis, quia licet, inquit, Pater producat Filium, non tamen essentiam divinam.

SECTIO II.

Deducuntur quedam ex dictis circa naturam causæ.

I.

Non necessarium prioritate nature.

Hinc infero primò, minùs necessariò definitioni causæ additas esse à quibusdam particulas illas *sum prioritate nature*, nam ante has particulas habetur sufficienter ratio causæ, cum Patres non propterea rejecerint rationem causæ à Trinitate ad intra ob prioritatem aliquam naturæ, saltem eo modo explicatam, quo eam explicant hi auctores, sed quia causa arguit distinctionem essentia, & limitationem seu dependentiam, ut vidimus ex S. Thomâ supra & prioritas naturæ sequitur rationem causæ, vel fortè idem reipsa est cum illa.

II.

Actio etiam à conditione pendere potest à priori.

Infero secundò, in quo differat causa à conditione. Non autem differunt in eo, ut volunt aliqui, quòd non dependeat actio vel effectus à conditione à priori: certum est enim, sæpè dependere à conditione à priori, ut, priùs aliquo modo debet ignis approximari, quàm comburatur, priùs aperiri oculi, quàm quis videat, priùs auferri obstaculum, vel aperiri fenestra, quàm, lux ingrediatur, & alia hujusmodi.

III.

In quo differat causa à conditione.

Quidquid ergo habet virtutem in actu primo productivam & hoc modo constituit principium influxivum in actu primo, dicitur causa. Conditiò autem, licet requiratur, etiam à priori ad operationem, non tamen constituit principium illud tanquam aliquid à quo efficienter procedit effectus, sed vel auferendo impedimentum aliquod, ut in aperi-tione oculorum; vel tanquam applicatio, ut cum duo portant idem pondus, illi duo constituunt principium adæquatum, requiritur tamen utriusque approximatío tanquam applicatio illius principij, sine quâ portari pondus non potest: quâ de causâ, hujusmodi vocantur conditiones sine quibus non.

IV.

Causa proxima duplex.

Infero tertio, Causam aliam esse proximam, aliam remotam. Causa proxima duplex est: primò, illa est causa proxima, quæ immediatè producit aliquem effectum, ut sol lucem, calor calorem. Secundò, causa proxima est entitas causæ connotans omnia ad operandum requisita, sive concausæ sint, sive tantum conditiones. Sic ignis ut sit causa proxima, seu ad operandum expedita, præter lignum, & concursus Dei in actu primo paratum, quæ sunt concausæ partiales, materialis illa, hæc efficiens, requirit approximationem, quæ est conditiò.

V.

Causa remota similiter duplex.

Causa etiam remota duplex est, in actu primo, & in actu secundo. Causa remota in actu primo est entitas causæ, cui vel alia concausa, vel saltem conditiò deest ad operandum necessaria, ut igni conti-

git in fornace Babylonice, cui tunc deerat concursus Divinus. Causa remota in actu secundo, est causa quæ non immediatè producit effectum. De quâ plura numero sequente.

VI.

Quartò infero, causam remotam non esse propriè causam, cum non influat *per se*, sed per aliud à se distinctum, ut Adamus non est vera causa Petri qui hodie nascitur, nec ignis A caloris producti à solo igne B, qui tamen ignis antea productus fuerat ab igne A. Causa igitur remota non dicitur causa *per se*, sed *per accidens*, causa enim *per accidens* illa est, quæ se, & per ablatâ, maneret idem effectus & causalitas, unde arguitur, causalitatem illam, & consequenter effectum, non habere dependentiam *per se* ab illâ causâ remotâ, sicque cum aqua calida calefacit manum, denominativè tantum tribuitur calefactio illa aquæ, cum proveniat à solo calore, qui si poneretur à Deo in alio subjecto, ut in laetæ, vel conservaretur sine omni subjecto, eodem modo, & eadem numero actione calorem illum vel produceret, vel conservaret, & tunc lac diceretur calefacere, non aqua; sicut dicitur videri paries licet solum videatur albedo, paries verò, quia objectum remotum, est objectum tantum *per accidens*, quod proinde si abesset, eodem modo perstaret visio: unde si albedo illa tolleretur à pariete, & peneretur in ligno, vel equo, diceretur per eandem numero visionem, adhuc permanentem, videri lignum aut equus.

SECTIO III.

An existentia requiratur ad agendum.

Respondeo affirmativè. Ita nostri omnes, contra recentiores quosdam dicentes posse causam aliquam operari eo instante, quo jam non est, modò immediatè antea extiterit: quam sententiam impugnât P. Suares d. 14. Met. f. 3. P. Hurr. d. 8. Phy. f. 5. P. Arriaga d. 7. f. 5. P. Oviedo cont. 7. Phy. p. 4. & alij. Suppono hic sermonem non esse de causâ finali, illa enim, cum solum sit causa intentionalis, & non agat physicè, non requirit existentiam physicam, sed solum intentionalem, seu ut mente concipiatur, cum nihil volitum quin præcognitum: sicque agricola terram colit, & semen eidem committit ob legetem, quam inde sperat, quæ tamen nondum est.

De causâ verò materiali & formali certius est quàm ut à quoquam in dubium vocetur, nam materia (idem est de formâ) constituere nequit compositum, quando non est, cum illud constituat per suam entitatem. Præterea, quis dicit albedinem, quæ non est, posse physicè reddere parietem album? aut parietem etiam, qui non est, posse physicè & intrinsecè recipere effectum formalem albedinis, & esse album id, quod non est? Potest tamen id quod non est, recipere effectum formalem alicujus formæ intentionalis, & extrinsecæ, sicut Anti-Christus jam denominatur cognitus.

Sola itaque difficultas est de causâ efficiente, quam non posse physicè operari, & influere quando non existit, probatur primò, nam posse influere actu, est actu dari virtutem influendi, ergo virtus illa actu est, & existit. Dices; est virtualiter, & in esse causæ, non tamen formaliter, & in esse entis. Contrâ, conceptus entis est primus in unaquaque re, ergo si est in esse causæ, est in esse entis, cum esse causam supponat esse simpliciter, & existere: nisi per esse virtualiter, non formaliter, velint esse virtutem causæ in actu secundo, seu causalitatem & actionem illius, non entitatem: Sed si hoc dicatur, petitur principium, hoc enim est in questione, nempe utrum possit esse actio, quando non est entitas causæ. Censur. hoc instante que

I.

Non est sermo de causâ finali.

Nihil volitum quin præcognitum.

Certum est Materiam & Formam ad causandum requirere existentiam.

III.

Causa efficiens operari non potest nisi existat.

esse ali-
quid agere
est esse, seu
existere po-
tentiam a-
gendi.

quo est actio & effectus, vel est virtus illius effecti-
va, vel non: si sit, habemus intentum; si non sit, est
implicatio in terminis, cum sequatur posse aliquid
agere, quando non est potentia, seu virtus agendi.
Quod perinde est ac si quis dicat esse virtutem agen-
di, & non esse. Conf. secundò, operatio est actus
secundus, ergo supponit actum primum, ergo quan-
docunque est actus secundus, debet esse primus, nec
sufficit esse in potentia, nam quod solum est in po-
tentia, non est, esse enim, & existere sunt idem.

IV. *Sequitur
posse aliquid
agere in-
stante ante-
quam sit.*

Secundò probatur: si res possit agere primo in-
stante quo non est, seu postquam deluit, sequeretur,
similiter posse aliquid agere instante antequam sit,
quæ enim est major ratio unius instantis, quàm al-
terius, nam primo instante quo non est, non habet
plus, quàm habuit instante immediatè ante existen-
tiam, sed tam verè tunc non est, quàm non fuit
in instante immediatè præcedente productionem,
ergo.

V. *Posse simi-
liter aliquid
agere longo
tempore
postquam est
destructum.*

Tertiò, eodem modo posset aliquid operari, etiam
longo tempore post destructionem: tam enim nihil
habet virtutis ad agendum primo instante, quo non
est, quàm ullo sequente. Dices; requiri & sufficere
contiguitatem Causæ & effectus, ac propterea pos-
se causam quæ non est, operari primo instante, quo
non est, non tamen sequentibus: sicut ut candela
producat lucem in aëre, sufficit contiguitas illius cū
aëre, non tamen propterea potest operari in distans.
Et idem est de omni aliâ causâ efficiente. Contrà
primò, nam in intelligibile videtur aliquid operari,
quando non habet virtutem operandi, ut suprà dixi-
mus. Contrà secundò, ergo saltem posset res ope-
rari instante immediatè antequam fuit, modo ipsa
immediatè post effectum subsequatur, tunc enim
non minùs contiguus esset effectus causæ. Sicut nil
refert ad productionem lucis in aëre, ex qua parte
sit aër localiter contiguus lucernæ. Deinde, si exem-
plum quidquam probet, probat posse etiam tem-
pore discontinuum agens agere, cum agentia phy-
sica possint agere in magnâ distantia, saltem super-
naturaliter.

VI. *Posset etiam
homo videre
primo in-
stante post
mortem.*

Confir. primò, ergo homo posset videre, & sen-
tire primo instante post mortem, quidni enim æ-
què, ac ignis produceret calorem eo instante, quo
non est? Conf. secundò, nam hac ratione cæci pos-
sent videri, surdi audire, & muti loqui, eo enim in-
stante quo perditur visus, auditus, aut loquela, pos-
sunt hæ potentie operari, æquè ac ignis eo instante
quo destruitur; sed tunc sunt cæci, surdi, & muti,
ergo &c. Confirmatur tertiò, sequeretur posse ho-
minem in gratiâ decedentem peccare primo instan-
te post mortem, excitatum ab appetitu sensitivo, &
dannari.

VII. *Vivens mori-
tur, iustus
peccat, &c.
Similia sunt
ampliatio,
vel distractio.*

Nec quidquam video quod faciat pro hac sen-
tentia: quod enim dicunt hanc propositionem esse
veram, *vivens moritur*, ergo in instante quo moritur,
esse debet vivens aliquo modo, cum illo instante ve-
rè dicatur mori. Hoc, inquam, nihil omnino pro-
bat: si enim tunc aliquo modo sit vivens, ergo nihil
facit pro hac sententiâ, cum probare debeant hi au-
ctores operationem ab aliquo procedere quod non
est; vivens autem secundum ipsos tunc est. Dico ita-
que, in illâ propositione esse ampliationem, sicut cum
quis dicit, *domus est combusta*, hora est præterita &c. id
est, *domus quæ fuit, jam est combusta*, hora quæ fuit, jam
transiit, Petrus qui fuit, jam est mortuus. Non ergo est
vividus quando moritur, tunc enim est dissoluta ani-
ma à corpore, & consequenter non est vivus. Deinde,
mors non est exercitium physicum viventis, sed
solum connotat immediatè antea vixisse illum, qui
hoc instante moritur.

VIII.

Quòd verò dicant aliqui, sacramenta physice
gratiam producere primo instante, quo non sunt,
Resp. Sacramenta vel non omnino physice produce-
re gratiam, ut ostendi 3. p. d. 3. de Sacramen. s. 3. vel
si eam physice producant, id præstant ultimo instan-
te, quo per aliquid sui adhuc existunt.

SECTIO IV.

*Possint idem effectus pendere simul à duplici
causâ totali.*

I.

Prima Conclusio: Nullus effectus, etiam divini-
tus, dependere potest à duplici causâ materiali,
vel formali. Ratio est clara, causa enim materialis &
formalis sunt partes intrinsecè alicujus rei constitu-
tivæ, qualibet autem parte intrinsecè mutata, mu-
tatur eo ipso compositum, seu essentia, ergo altera
parte variatâ, est essentialiter diversus effectus.

II.

Secunda conclusio: idem effectus producitur si-
mul à duabus aut pluribus causis totalibus, in diver-
so genere. Probatur, in productione ignis v.g. mate-
ria est causa totalis materialis, forma causa totalis
formalis, & sic de cæteris. Difficultas itaque proce-
dit de causis totalibus in eodem genere, iisque effi-
cientibus.

III.

Tertia conclusio: duæ aut plures causæ totales in
actu primo eundem sæpè effectum simul producant.
Per causam totalem in actu primo intelligo rem ali-
quam, quæ licet hic & nunc attemperet concursum
cum aliâ concausâ, sitque proinde causa partialis in
actu secundo, ex se tamen habet virtutem in actu
primo sufficientem, ut rem illam sola producat. Sic
Deus cum igne producit ignem, quem tamen solus,
& sine concursu ignis posset producere. Sic quando
duæ lucernæ eidem aëri, aut alteri medio diaphano si-
mul applicantur, licet respectu gradus alicujus in-
tensi lucis sint causæ partiales, etiam in actu primo,
cum neutra illum, in tanta præsertim distantia, pro-
ducere sine alterius concursu possit, at respectu pri-
mi gradus lucis in propinquo, utraque lucerna vim
habet in actu primo sufficientem, & quavis extin-
ctâ, altera eum sola produceret.

IV.

Quarta conclusio: idem numero effectus succes-
sivè pendere potest à diversis causis totalibus. Hoc
probatione non indiget, calor enim, vel ignis ab igne
productus, amor ignis à Deo, sole, vel cælo, tanquam
à causâ adæquatâ conservatur, sicque à variis causis
totalibus successivè.

V.

Quinta conclusio: non possunt duæ causæ totales
efficientes in actu secundo, seu duplici actione totali
naturaliter concurrere ad eundem effectum. Ratio
est, quia una actio totalis sufficit, ergo non possunt
naturaliter esse plures, cum natura, sicut non denegat
necessaria, ita abhorreat superflua: unica autem actio
totalis abundè præstat id ad quod requiritur actio,
nempe ponit rem completè extra causas. Actio au-
tem totalis illa est quæ sola sufficit ad producendum
effectum, sive alia ipsam comitetur, sive non, ita ut
quacunque ex illis in particulari cessante, perstaret
adhuc effectus. Dixi non posse duas causas totales in
actu secundo, concurrere ad eundem effectum, nam
quæ in actu primo, & seorsim totales essent, possunt
simul concurrere, ut dixi: sicut cum duo ignes simul
tertium eadem actione producunt, attemperando
sc. concursum, quem tamen ignem singuli seorsim
producere potuissent.

VI.

Obijcies primò; ignis A (idem est de aliis agen-
tibus naturalibus) est agens necessarium, ergo aget
quantum potest, sed per nos potest ignem illum to-
taliter.

taliter, & independentes ob igne B producere, ergo producit; nec enim ex additione alterius ignis in actu primo similiter sufficientis, minuitur aut ligatur virtus ejus operativa. Idem est in igne B respectu ignis A, ergo uterque ignem illum tertium producit, ut causa illius totalis, & adæquata.

VII.

Nec dici potest attemperare sibi invicem concursus.

Dices; contemperabunt invicem vim productricem, & non duplici actione totali singuli, sed una ab utraque causa procedente ignem illum ambo producent: sicut quando duo, quorum uterque est fortis ut sex, simul levant pondus ut quatuor, quod uterque solus levare, sed majore conatu, potuisset. Quod etiam contingit in duobus equis eundem currum trahentibus, minus enim uterque laborat, quam si currum solus traheret. Idem ergo est in presenti. Sed contra, in his enim casibus operantur ex cognitione, vel perfectâ, ut in hominibus pondus illud levantibus, vel imperfectâ, & materiali, ut in equis currum trahentibus, ex quâ imaginatione determinatur ad concursus sibi invicem attemperandum. At in igne, & aliis rebus non sensitivis, non est unde attemperent virtutem; quomodo enim divinabit ignis adesse aliud agens totale, ut ipsi attemperet concursus?

VIII.

Resp. tamen ostendendo quomodo sibi attemperent concursus.

Resp. tamen, nullâ opus esse divinatione, sed ideo majorem hinc non exierit virtutem ignis A, quia in præsentia alterius causæ totalis non debetur ei concursus ad actionem totalem, & hoc sensu ligatur vis ejus operativa: sicut anima, licet, etiam existens in corpore, vires habeat sufficientes ad se cognoscendum intuitivè, hoc modo tamen non se cognoscit, sed abstractivè tantum, seu per species à rebus corporeis abstractas, quia nimirum non debetur ipsi pro hoc statu concursus ad visionem sui intuitivam.

IX.

A duplici causâ finali non rectè arguitur ad duplicem efficientem.

Obijcies secundò; dari potest duplex causa totalis finalis, ergo & duplex effectiva. Resp. primò, antecedens non esse usque adeo certum, cum ab omnibus non concedatur. Sed admissò pro præsentis possit eandem ob duos fines totales expecti, ut deambulationem propter sanitatem, & honestam animi oblectationem, non sequitur in causis efficientibus admittendum posse duos ignes tertium per duplicem actionem totalem producere.

X.

Differentia hæc in re inter causam efficientem, & finalem.

Disparitas est, quod cum actio ad hoc præcisè requiratur ut res ponatur extra causas, & hunc effectum formalem tam una actio tribuat, quam centum, omnis actio præter unam erit superflua. Sicut secundum omnes superflua esset, duplex ubicatio homogenea, seu rem uno aliquo loco figens, cum una ubicatio plenè hunc effectum præstet. At verò actus vitales quibus finem appetimus, ordinantur ad perficiendum subjectum vitale, diversa autem est perfectio, quam accipit anima appetendo finem aliquem ob unum motivum, ab illâ quam habet ab alio actu quo eundem finem appetit ob motivum diversum. Alia ergo ratio est de intentionalibus, alia de physicis.

SECTIO V.

An saltem divinitus dari possit duplex actio totalis respectu ejusdem effectus.

I.

Divinitus dari potest duplex causa totalis.

Conclusio affirmativa. Ita Suar. d. 26. Met. sect. 4. n. 9 & 3. p. d. 49. l. 1. Concl. 3. & d. 50. l. 4. Valen. t. 4. d. 3. q. 3. p. 3. Hurt. d. 8. l. 10. Coninck. de Euch. q. 75. ar. 4. d. 3. Monac. d. 10. c. 15. Arriaga hic d. 7. l. 10. Oviedo contr. 7. p. 7. & alij contra. Scotum in 3. dist. 1. q. 2. Cajet. Valq. To. 1. in 3. p. d. 29. c. 4.

id negantes. Probatur tamen, quia nulla apparet repugnantia, ergo non est cur hoc virtuti divinæ, & infinitæ denegetur; quæ unica est, & sufficiens hujus rei probatio.

Dices primò; altera superflueret, ergo non possunt dari duæ. Distinguo consequens, naturaliter, concedo; supernaturaliter, nego: eodem enim modo probaretur Deum non posse ponere duas quantitates, aut duas albedines vel ubicationes in eodem subiecto, in eodem loco, cum una sufficiat, & præstet effectum formalem æquè perfectè, ac duæ. Licet ergo naturaliter hæc fieri non possint, quia quoad finem à naturâ intentum altera sufficit, Divinæ tamen potentie id propterea non est denegandum, qui aliud sibi finem, supra naturæ exigentiam, præfigit, ostensionem scilicet potentie. Sicut & camelum ponere potest aut elephantem in puncto, aut in foramine acis, ad ostendendam suam potentiam, quod tamen fini in iis à naturâ intento adversatur, cum nullam inibi exercere operationem possint.

Dices secundò, & est fundamentum contrariæ sententiæ, quod etiam aliquos ex recentioribus in eam impulit: actio est indigentia effectus, utpote quâ indiget ut ponatur à parte rei, ergo non potest dari secunda actio totalis. Patet consequentia, effectus indigere hæc non potest, cum altera sufficiat, ac proinde neutra est necessaria. Conf. nam sequeretur, effectum ab utraque illâ causâ pendere, & non pendere: pendere, quia actio est dependentia effectus à causâ; non pendere, quia potest esse sine quacunque ex illis, imò sine utraque.

Ad argumentum, distingo Antecedens, actio hæc determinata est indigentia effectus, nego antecedens, aliqua indeterminatè sumpta, concedo: non enim indiget effectus ullâ in particulari, cum alia sufficiat, ac proinde nulla in particulari est necessaria, saltem absolute, & simpliciter, est tamen necessaria secundum quid, & supposito quod non detur alia, hoc enim supposito, necessariò requirit effectus hanc, cum requirat aliquam. Ad Confirmationem Resp. si per pendere intelligatur, accipere suum esse, tantum effectum pendere ab utraque: si verò per pendere intelligatur, egere illis absolute, tunc dico à neutrà pendere determinatè, & simpliciter: unde si pendere sumatur eodem modo, nunquam sequitur effectum pendere & non pendere ab illis causis totalibus.

Dices tertio; non potest eadem actio pendere à duabus causis totalibus, ergo nec idem effectus. Nego consequentiam, disparitas est manifesta, actio enim cum sit per se actualis dependentia ab hoc numero agente, mutato vel partialiter agente, mutatur necessariò actio, quia est quasi essentialis affectio illius agentis, sicut ablata minima parte objecti, mutatur & perit tota visio. At verò effectus non est essentialis dependentia ab hoc determinato agente, sed est indifferens ut ab hoc vel illo agente producat, & hac vel illâ actione, ac proinde non est eadem ratio effectus & actionis, cum effectus sæpius mutare possit causas, actio nunquam.

Ut autem tollatur omnis æquivocatio, notandum, per causam totalem & adæquatam non hic intelligi causam, quæ non habeat consortium alterius causæ unâ cum ea effectum illum producentis, sic enim clarum est non posse dari duas causas totales: sed per causam totalem in actu secundo intelligimus illam quæ independentes à concursu alterius ita hic & nunc operatur, ut licet altera causa abesset, illa nihilominus effectum produceret, idque eadem actione, quâ eum modò producit simul cum alterâ causâ per aliam actionem similiter ab hac independentem eundem producentem.

Di-

VII. Dices quare; hæc duæ actiones totales naturaliter pugnant inter se, ergo non potest Deus efficere ut sint simul, sic enim tollere deberet hanc earum oppositionem & repugnantiam, quam tamen tollere non potest, cum sit ipsa sola earum entitas. Confir. Deus per suam voluntatem solam non potest efficere ut formæ, quæ sibi opponuntur, non opponantur, sicut efficere è contrario non potest, ut quæ non opponuntur, opponantur, ut v. c. calor albedinem, vel frigus lucem ex eodem subiecto expellat.

VIII. Hæc obiectio non caret difficultate. Ad argumentum tamen & confirmationem Resp. Deum non tollere naturalem actionum istarum repugnantiam, sed, illa non obstante, efficere, ut se invicem compatiuntur, non per meram suam voluntatem, sed producendo in illis duas durationes homogeneas, seu ipsas determinantes ad certum aliquod instans: per has autem supernaturaliter productas determinan-

tur hæc duæ actiones, ut simul afficiant eundem terminum, quem naturaliter afficere non possunt. Sicut per duas ubicationes homogeneas duo corpora naturaliter impenetrabilia penetrantur inter se, & in eodem loco statuuntur.

Urgebis, eadem est difficultas de durationibus illis homogeneis, cum enim naturaliter sibi invicem repugnent, non potest Deus efficere ut sibi non repugnent. Resp. non efficere Deum ut naturaliter non repugnent, sed per voluntatem hanc supernaturaliter illas in genere causæ efficientis producere, & eas ipso facto sibi reddere coexistentes: cum enim indifferentes non sint ut existant; & non existant simul (quam tamen indifferentiam habent duæ actiones totales) idem est velle illas supernaturaliter, & velle ut supernaturaliter sint simul, ut ex naturâ durationum constat.

IX. Differentia inter duas durationes, quæ duas actiones totales.

DISPUTATIO XIX.

An idem possit producere seipsum.

SECTIO PRIMA.

Quid hac in re sentiendum.

I. **Q**uestio procedit quoad secundum esse, seu utrum à re per unam actionem à solo Deo, vel agente aliquo creato productâ, possit nova actio procedere ad eandem rem terminatâ, quâ se secundò producat: nam non posse rem ullam se primò producere certum omnino est; cum enim prius sit esse quàm operari, quidquid agit, debet pro aliquo priori supponi existens, ergo ante omnem operationem est, ergo per illam actionem non primò accipit esse. Conf. actio productiva rei est physica, ergo procedere debet à principio physice existente. Conf. secundò, non potest aliquid elevari ad agendum nisi existat, cum quicquid elevatur, supponi debeat tanquam fundamentum elevationis.

II. Deinde, non posse quidquam secundò se producere naturaliter, non minus videtur certum: cum enim una res non possit aliam jam per unam actionem ab aliqua causâ productam, stante illâ actione, denudò producere, multò minus id præstare poterit idem respectu sui ipsius. Ratio universim est, quia, ut dixi d. præf. 4. fine, cum actio ordinetur ad rem à parte rei, seu extra causas ponendam, & hoc perfectè præstetur per unam actionem totalem, alia esset superflua. Quærimus itaque utrum res existens per unam actionem, elevari divinitus possit ad se secundò per actionem aliam producendum.

III. Prima sententia est P. Vasq. Card. de Lugod. 7. de Eucha. sect. 2. n. 21. P. Moncæi d. 10. c. 16. P. Oviedo c. 9. p. 10. P. Hurt. d. 9. Phy. f. 13. ubi mordicus defendit non posse rem ullam obedientialiter elevari ad se secundò producendum, quia hoc posito, non possemus, inquit, in Divinis productionibus probare distinctionem trium personarum. Quam sententiam multi sequuntur ex recentioribus.

IV. Dico primò: potest aliquid tanquam causa moralis se secundò producere. Probatur, nam juxta communem sententiam Theologorum, Christus meruit suam resurrectionem, ac proinde ut existens in uno tempore meruit existentiam sui pro alio, unde & Angelus existens in uno loco vel tempore, mereri

potest existentiam sui in alio, vel per novam ubicationem, vel etiam reproductionem. Ex quibus infero, nullam apparere repugnantiam quo minus possit etiam mereri ut per aliam actionem à Deo producatur, vel conservetur in eodem loco retinendo adhuc priorem actionem, per quam antè conservabatur.

Dico secundò: non repugnat idem elevari ad se secundò physice producendum. Ita Suar. To. 3. in 3. p. d. 5. o. sect. 4. & plurimi ex recentioribus. Ut æquivocatio, cui hæc quæstio obnoxia est, tollatur.

Notandum primò, quando dicimus aliquid producere se quoad secundum esse, non quoad primum, non esse ita intelligendum, quasi in re sint duo esse, seu duæ essentia, vel existentia, hoc enim falsum est, cum à parte rei nihil sit aliud quàm unica indivisibilis entitas, quæ, ut primò producit, dicitur accipere primum esse, ut deinde per aliam actionem à priori aliquo modo dependentem secundò producit, dicitur accipere secundum.

Notandum secundò, non debere has actiones mereri se habere disparatè, sed secunda aliquo modo dependere debet à primâ, & illam supponere. Unde si Deus vel primo instante, vel sequentibus rem aliquam per duplicem actionem totalem à se invicem independentem produceret, neutra esset prima vel secunda hoc sensu, quantumvis una aliam, etiam tempore, præcederet. Hæc ergo duæ actiones talis sunt naturæ, ut Angelus utramque intuens videat esse essentialem inter utramque subordinationem, & quæ sit prima, quæ secunda; videt enim procedere secundam actionem à re illâ ut existente, ac proinde rem illam necessariò actionem aliam supponere productivam vel conservativam sui; cum esse nequeat à se. Et in hoc disparitas est inter actionem quâ res secundò producit se, & quâ effectus secundò producit suam causam: illa enim actio ita est secunda & dependens ab aliquâ aliâ, ut esse non possit prima & independens; actio verò quâ effectus producit secundò suam causam, licet de facto mediât ab aliqua actione quâ causa producit, dependeat, posset tamen esse prima, & ab omni actione productivâ causæ illius independens, cum per accidens sit quoddam principium à quo hæc actio procedit, dependeat ab illâ causâ: licet enim ignis A de facto primò pro-

V. Potest aliquid se secundo producere physice.

VI. Quid sit rem producere secundo.

VII. Una actio aliam naturam ordinem supponit.

Videt Angelus quæ actio sit prima, quæ secunda.